

DISSERTATIO HISTORICA
 DE
 COMMENTIIS PHILOSOPHIAE AMMO-
 NIANAE FRAUDIBUS ET NOXIS

QUAM
 RECTORE UNIVERSITATIS EBERHARDINÆ CAROLINÆ
 MAGNIFICENTISSIMO
 SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DUCE ET DOMINO
 DOMINO

CAROLO

DUCE WIRTEMBERGIÆ ET TECCIÆ REGNANTE
 REL. REL.

PRÆSIDE
 CHRISTIAN. FRIEDER. ROESLER
 HISTOR. PROFESS. PVBL. ORD.
 PRO RITE CONSEQUENDIS MAGISTERII PHILOSOPHICI
 HONORIBUS

DIEBUS SEPT. A. MDCCLXXXVI.

PUBLICÆ DEFENDENT

FRIEDERICUS PHILIPPUS IMMAN. NIETHAMMER, *Beilsteimensis*
 CHRISTOPHORUS FRIEDERICUS STOCKMAJER, *Boeblingensis*
 GUILIELMUS FRIEDERICUS BINDER, *Wangensis ad Goeping.*
 CAROLUS THEOPHILUS FISCHER, *Oetishemiensis*
 IOHANNES HENRICUS MÆRKLIN, *Stuttgardianus*

SERENISSIMI STIPENDIARII ET MAGISTERII PHILOSOPHICI
 CANDIDATI.

TUBINGÆ
 LITERIS SCHRAMMIANIS.



Opinionem illam tam vulgarem & diuturnam, quæ antiquam Christi post Apostolos Ecclesiam tanquam purissimam tum doctrina tum moribus nobis commendavit, nihil unquam magis refellere poterat, quam ingeniosa doctorum hominum sedulitas, qui variorum errorum vanæque superstitionis tam mature impressa vestigia vel negando delere, vel excusando minuere voluerunt. Nos vero, quanquam primorum seculorum fidem & mores ab omni labe liberare non audemus: tamen eas corruptionum causas non omnino invenisse arbitramur, quas aliqui auctores quasi apertas atque indubias demonstrare sustinuerunt. In his cum nulla alia famosior sit fatali & pestifera illa Eclecticorum sive Neoplatonicorum secta, nempe quæ a longo jam tempore in omnium ore sit, qui veteris Christianismi faciem describere amant; ea, quæ a paucis sed doctis quibusdam viris contra istam traditionem passim disputata sunt, aliquantum colligere, ejus finem in-

primis & ansas breviter illustrare, nostramque sententiam e monumentis Christianæ antiquitatis haustam confirmatamque addere constituimus.

Et prisca quidem Ecclesiæ Doctores diu est ex quo Platonismi a multis variisque auctoribus accusati sunt, quod tamen neque ad hanc præsentem causam valde pertinet ¹⁾ & quoad ferri possit, alio loco quanquam adstrictius, abs nobis dictum est ²⁾. Præterea autem dæce vel Potamone quodam vel potius Ammonio Sacca singularem quandam philosophorum familiam (si sectam dicere nolis ³⁾), ortam propagatamque ferunt, Eccl-

1) Hoc imprimis notatum volumus in hac controversia: notavitque jam id ipsum Moshemius in sua adversus Maranum Apologia: „nec enim, ait, a Platonicis in universum, quod ipse Maranus, significat, verum a recentioribus Platonicis, quos inter & veteris scholæ Platonica alumnos haud parum interest, Ecclesiam turbatam esse demonstrare volui,“ & paulo post: „Addo non tam de Platone ipso hic quæri, quam de illis qui secundo, & sequentibus sæculis nomen sibi Platoniorum arrogabant.“ V. Ej. præfat. ad Volumen alterum Dissert. ad histor. Eccles. pertinentium, edit. renov. 1767. p. XV. & XX. Similiter Bruckerus histor. crit. philosophiæ T. III. p. 348. Id vult Platonismus patribus tributus — eos — maxime — post conditam scholam Ammonii & Plotini gravissimos quosdam ejus errores in Ecclesiam introduxisse. —

2) Conf. dissert. de Originibus philosophiæ Ecclesiasticæ p. 22 - 24.


3) Ut Olearius in diss. de philosophia Eclectica p. 1209. „Nolim sectatores Potamonis quærere, qui sectam habere non potuit, ut qui solam rationem ducem atque magistram agnosci vellet, atque ea præmonstrante ex omnibus philosophorum placitis decerpi ea, quæ illi maxime placuissent.“

Eclecticos vocant aut novos etiam Platonicos, a quibus boni Patres ad fraudes & errores, & superstitionis varia genera male seducti fuerint, imo universa Ecclesia multis aliis incommodis adfecta sit. Qui tamen ista nobis enarrant, ut se ipsos hujus novitatis quasi architectos prodant, bene monent ⁴⁾, veteres fere nihil de ejusmodi aliqua secta, præsertim quæ tam funeste præ ceteris contra Christianos conspiraverit, tradidisse, sed eam hac demum ætate doctorum quorundam ingeniosa atque indagatrice diligentia quasi e pulvere excitatam esse. Etenim Godofredus Olearius, præeunte quidem, ut judicavit b. Ernesti ⁵⁾, Jacobo Thomasio, primus erat, qui singulari commentatione illud philosophorum genus paulo amplius descripsit ⁶⁾. Illud Olearii inventum b. Moshemius postea in celeberrima de Neo-

4) Bruckerus H. C. phil. T. c. p. 196. not. c. „Paucæ fereque nullæ sunt, quæ de hac secta veteres habent, cujus potior ratio hæc esse videretur, quod Potamonis qui sectam condidit, institutum cum ipso auctore obierit quasi & exspiraverit, Ammonii vero Plotinique scholæ Platoniorum nomine plerosque deceperit.“

5) Vid. Ernesti *nene theol. Bibl. B. VII.* p. 795. & Moshem. *Comment. de turbata per recentiores Platonicos Ecclesia*, edit. cit. p. 127. not. *. Ceterum etiam Lucas Holstenius in libro de vita & scriptis Porphyrii apud Fabric. *Bibl. Græc. Vol. IV.* quædam habet, quæ huc facile accommodari poterant.

6) *Historiæ philosophiæ Stanlejanæ* (Lips. 1711. 4.) ab eo. addita in fine est p. 1205 - 1222. de philosophia Eclectica commentatio.



Neoplatonicis dissertatione ⁷⁾ ad historiam Ecclesiasticam sic adhibuit, ut inde sibi nexos bene multos explicaret, qui veterem jam Ecclesiam foedaverint. Hunc Jac. Brückerus, Classicus in historia philosophiæ auctor, paucis exceptis, secutus est ⁸⁾, ut hac ratione communis fere de Eclecticis illis *sive* Neoplatonicis & una omnium *παράδοσις* ab eo tempore in orbe literario vigeret, vix aliquibus eorum resistantibus, qui religionis suæ causa traditionem istam repudiassè videri poterant ⁹⁾. E nostris autem nuper demum uni alterique ista fabula non jam subolere sed publice in dubium vocanda videri coepit, cum unam certe atque alteram ejus partem convellerent ¹⁰⁾, quibus quid nos adjicere habeamus, nunc videndum erit.


Ante

7) Ed. Helmstadii 1725. multo postea auctor in Vol. I. dissertationum ad historiam Ecclesiasticam pertinentium A. 1767. Altonæ & Lub. edito p. 85-216. addita etiam Cudworthi versionis Latine T. II.

8) Vid. histor. critic. philosophiæ T. II. p. 189-462. atque etiam Tom. VI. vel supplem. ad illam historiam. p. 360. sqq.

9) Ut Maranus e congreg. S. Mauri ad editionem Justinii Martyris quæ A. 1742. Lutet. Paris. fol. prodiit & postea Anonymus Auctor libelli Francogallici, *histoire critique de l'Ecclésiisme ou des nouveaux Platoniciens* 1766. 8. 2 Voll. Sunt tamen etiam inter Romanæ Ecclesiæ scriptores præsertim recentiores, qui istam de Ammoniana philosophia narrationem adoptarunt, ut Bergius in Comment. de Clemente Alex. ejusque doctrina morali Wirceb. 1779. ed. conf. Thesaur. rei patr. T. II. p. 740. 747.

10) Buddæus jam in historia theologiæ literaria continuata. Lips. 1730 4. p. 89. sq. putavit Moshemium in ista dissertatione de novis Platonice pro-




Ante omnia autem illud nos movet, quod, qui copiosius de his philosophis scripsere, Eclecticos eos tam usitate nominent ejusque sectæ initium a Potamone quodam ducant, quem fere unus Diogenes Laertius in præfatione ad vitas philosophorum his verbis commemoravit ¹¹⁾:

ἐπι δε προ ολιγα εκλεκτικη τις αιρεσις εισηχθη υπο Ποταμιωνος τε Αλεξανδρεως, εκλεξαμενε τα αρεσαντα εξ εκαστης της αιρεσιως*

Igitur intelligimus quidem, unde Eclecticorum nomen, quod his Platonicis pro arbitrio tribuunt, sumferint, qua autem ratione cum iis Potamo ille tanquam dux & caput totius Familiæ conjungi queat, neque ego unquam apud me reperire potui, neque apud alios demonstratum inveni. Etsi nemo unquam ad fidem rei faciendam expressum antiquitatis testimonium exposceret, sane Pla-

protulisse quædam, quæ suspicionibus potius quam historicis argumentis niterentur. Glæknerus vero in disput. de Potamonis Alexandrini philosophia Eclectica (Lips. 1745. ed.) negavit eam cum recentiorum Platoniorum disciplina conjungi posse. Præter ea quæ Meinersius vir clariss. in observationibus suis super philosophia Neoplatonica (Görting. Magazin. 1. Jahrg. 3tes Stück) & singulari quodam libello (*Beitrag zur Geschichte der Denkart der ersten Jahrhunderte nach Christi Geburt, in einigen Betrachtungen über die Neuplatonische Philosophie. Leipz. 1782. 8.*) isti causæ opposuit, accepimus nuper demum a Ven. Keilio Programma quoddam de causis alieni Platoniorum recentiorum a religione Christiana animi (1785. 4. Lips.) ubi illius de novo Platonismo traditionis pars quædam confutatur.

11) Edit. Longol. 1739. §. 14. p. 20.




Platonicorum iste princeps cum sua *διαδοχη* eo jam admodum incertus redderetur, quod docti viri de ejus ætate tantopere inter se diffideant. Potamonianam *αιρεσιν προ ολιγυ* quidem ortam esse diferte ait Laertius. Sed & illud *προ ολιγυ* parum definita temporis circumscriptio est & ipsius Diogenis ætas haud magis certa. Suidas autem qui fere repetiit Diogenem ¹²⁾, *προ και μετ' Αυγυς* vixisse Potamonem asserit. Denique apud Porphyrium in vita Plotini locum quendam invenere, ubi Potamonis cujusdam mentio injicitur, quem vero valde miror qua ratione cum Eclecticorum principe miscere potuerint ¹³⁾. Nolo autem repetere, quibus modis Olearius, Hafæus, Heumannus, Gesnerus, Moshemius componere ista tentaverint, quæ omnia apud Bruckerum, sua etiam addentem, prolixè jam exposita sunt ¹⁴⁾. Suidæ auctoritatem sequitur Moshemius, Diogenem premit Bruckerus, medius fere inter hos incesit Olearius. Nemo omnium certi quicquam attulit.

Suspi-


12) Suid. Lex. ed. Kuster. Ποταμών, Αλεξανδρεὺς, φιλοσοφὸς γεγονώς προ Αυγυς και μετ αυτη. Εστι αυτη εις ταις Πλατωνος πολιτειαις υπομνημα.

13) Porphyrius de Plotino quodam hæc narrat: πολλοι δε και ανδρες και γυναικες αποθνησκων μελλοντες των ευγενεστων, φεροντες τα εσωτην τεκνα, αρρενας τε ομη και θηλειαις, εκεινω παρεδιδουσαν μετα της αλλης υσιαις, ως ιερω τινι και θειω φυλακει· διο και επεπληρωτο αυτη η οικια παιδων και παρθενων, εν τειτοις δε ην και Ποταμων, ο της παιδευσεως φροντιζων (hie sine dubio de Potamone, discipulo quodam Plotini ex iis de quibus vix sermo erat, cogitandum erit) πολλοιαις εν και μεταποιουντοσ ηεροσαστα· hæc Fabricius sic interpretatur: auscultavit illum unam eandemque rem variis modis exercendi ingenii causa differentem.

14) Histor. crit. philosophiæ T. II. §. 3. 4. P. 194. 199.



Suspicionibus desinunt, cum perspicuo & constanti Vetus-tatis testimonio destituantur. Tamen quodcunque placuerit tempus Potamoni suo adsignent; eo certe non id effecisse putandi sunt, ut illam Neoplatonicorum successionem ab hoc duce & capite solide incipere queant. Nemo enim veterum cum iis Potamonem hunc aut cum Ammonio Sacca, quem proximum a Potamone nominant, conjunxit, quod sane in tanta scriptorum has res attingentium copia & varietate non potuisset non fieri, si istum Platonicorum novum ducem cognovissent. Sed frustra hunc celeberrimæ sectæ restauratorem, quem siugunt, apud eos requires, qui familias philosophorum adeo satis obscuras de sua ætate & norunt & recensent, ex quo genere sunt Plutarchus, Galenus, Sextus Empiricus. Eundem profunde ignorant doctissimi Christianæ rei defensores, profanæ philosophiæ sane non imperiti, Justinus, Athenagoras, Hermias, Clemens Alexandrinus. Hos scilicet omnes credamus vel nescivisse vel tacuisse principem ejus hæreseos, a qua tot mala inter Christianos profecta sunt? Denique novi Platonici profecto ii non erant, qui suorum Magistrorum memoriam non diligenter satis servare atque commendare studuissent. Ad manus sunt multorum libri, Plotini, Porphyrii, Jamblichi, Eumapii, aliorum: in his, qui plane ad historiam sectæ pertinent: tamen ne unus quidem omnium illum Potamonem ad familiam suam retulit, tantum abest, ut tanquam caput ei præfecerit. Opinor, quem hi omnes antiqui scriptores & Philosophi Platonicorum principem tacuerint, nos secure repudiare posse hoc nostro tempore. Accedit, quod quæ



Laertius commemoravit Potamonianæ philosophiæ fundamenta ita sint comparata, ut Platonismi recentioris principiis non tantum non consentanea, sed adeo valde adversa fuisse videantur ¹⁵). Illud certum est, nihil hic de divinis aut omnino de ejusmodi rebus differi, quæ universam Platoniorum philosophiam replevere.

Quæ cum ita sint, nostrique præterea historici fateri cogantur, non bene Eclecticis dici posse istos homines nisi eo sensu quo omnes fere philosophi fuerint eclecticici eosque potius syncretistas fuisse qui philosophos secum invicem componere voluerint, ¹⁶) ceterum pro Platoniciis & haberi voluisse & habitos ab

15) Hos maxime demonstrare voluit Glöcknerus in disputatione supra not. 10. citata. Diogenes Laertius universum Potamonis systema sic describit (§. 14. l. c.) ἀρεσκεί δ' αὐτῷ (καθὰ Φησιν ἐν τῇ συγγραφεῖ) δύο κριτηρία τῆς ἀληθείας εἶναι, τὸ μὲν, ὡς ὑφ' αὐτοῦ γίνεται ἡ κρίσις ταῦτα τὸ πνευματικόν, τὸ δὲ, ὡς δι' αὐτοῦ, οἷον τὴν ἀκριβεστάτην φαντασίαν ἀρχαῖς τε τῶν ὀλῶν, τὴν δὲ ὑκὴν, καὶ τὸ ποιῆν, ποιῆσιν τε καὶ τοποῦν. Ἐξ αὐτοῦ γὰρ, καὶ ὑφ' αὐτοῦ, καὶ πῶς καὶ ἐν ᾧ τέλος δὲ εἶναι ἐφ' ὃ πάντα ἀναφέρεται, ζῆσθαι κατὰ πᾶσαν ἀρετὴν τελείαν, καὶ ἀνεῦ τῶν τῆ σωματικῆς κατὰ φύσιν ἠγμάτων καὶ τῶν ἐπιτοῦ.

16) Brukerus hist. cr. Ph. T. II. p. 190. Negandum tamen non est, sectæ potius nomine quam Eclecticæ philosophiæ titulo dignos esse hos homines, qui cum ex Platónico-Pythagoricis Alexandrinorum scholis prodierint, Platonicum philosophandi genus nomenque valde adamarunt. Imo si fatendum quod res est, nec Eclecticum illis nomen debetur, qui non in eligendis veris, sed in conciliandis & in unam quasi massam conflandis diversissimarum opinionum generibus



ab omnibus esse: nonne intelligere debebant, neque Potamonem neque ejus sectam Eclectisam neque hujus adeo nomen ad Platonicos suos ullo modo pertinere? At, quomodo in mentem venire poterat doctis viris, tam diversos homines inter se miscere? Hanc vero quæstionem, ab auctoribus fere ommissam, non difficili conjectura absolvi posse arbitror. Sumebant sibi, antiquiores jam Ecclesiæ Doctores passim πλατωνίζειν. Hi vero, quanquam Platonici esse nolunt, tamen Eclecticorum nomen non recusant, quod disertè confirmat Clemens Alexandrinus. ¹⁷) Igitur cum Diogenes Laertius

πρὸ

neribus fuisse diligentissimi sic ut conciliatorum potius vel syncretistarum nomen mereantur. In hoc tamen uno Eclecticum quid in iis deprehenditur, quod nullus inter eos ita juraverit in verba Magistri, ut non propria ingenii commenta nugæque novo affricari systemati. Moshem, diff. cit. p. 108. Potuissent hi Philosophi vel a delectu, quem instituere suos jubebant opinionum Eclecticæ dici, vel a studio concordiæ inter omnes philosophos sancientiæ Conciliatores adpellari; sed ipsi nomen sibi poscebant Platonicorum, tamen Platonem non semper sequerentur, idque apud posteros retinuerunt. Dux & signifer totius sectæ Ammonius pro Platónico haberi volebat. & sqq.

17) Clem. Alex. Stromat. L. I. éd. Wirc. p. 49. ubi Christianis philosophiæ studium commendat, hæc ait: φιλοσοφίαν δὲ, ἢ τὴν ἑλληνικὴν λέγουσιν, ἢ τὴν Πλατωνικὴν, ἢ τὴν Ἐπιπυθαγορικὴν καὶ Ἀριστοτελικὴν καὶ ὅσα εἰρηθῆαι παρ' ἑκάστη τῶν αἰρέσεων ταύτων καλῶς, δικαιοσύνην μετα' εὐσεβείας ἐπιτηδέως ἐκδιδασκόντα, τὸ τὸ σὺμπαλ το ἐκλεκτικῶν, φιλοσοφίαν φησὶ. Cum his conferantur quæ Olearius in diff. cit. c. 2. p. 1208. habet: Eclectica philosophia — quæ sit, ipsum nomen affatim proffit, Clarius,



περὸ ολίγης Eclecticam quendam sectam, auctore Potamone, commemoraret Alexandriae enatam esse, ubi mature Christianismus locum invenerat, ex hac schola suspicabantur & ceteros Platonicos recentiores & Christianos platonizantes prodiisse. Quibus ut ne jam dicta denuo opponam, illud primum velim observetur, Potamonem quidem a Diogene Alexandrinum dici, scholam autem Alexandriae ab eo institutam non diserte dici. Deinde Clemens Alexandrinus Christianos quidem eclecticum quoddam systema sibi laudare concedit, at non eo sensu, ut a Potamone sumtum aut ejus imitatione institutum sit, (de Potamone aut universa ejus Eclectica secta ne verbum quidem Ecclesiae doctoribus unquam excidit) sed haec longe aliam vim habent. Etenim cum Christianorum doctrina tanquam nova omnino proptereaque in Imperio Romano haud ferenda traduceretur, istam ejus inauditam novitatem negabant nostri doctores, affirmabantque non quidem in una Philosophorum secta, sed in earum aliqua hoc, in alia illud, quod Christiani probent, inveniri, ¹⁸⁾ ut recte pro Eclecticis philosophis (neque

vero explicat ex Christianorum philosophis, Clemens Alexandrinus, qui ex hac ipsa — Potamonis schola prodiisse videtur. Eundem locum citans Moshem. diff. cit. p. 95. Clemens Alexandrinus ait, ipse prodidit memoriae Eclecticam sibi unice placuisse philosophandi rationem,

18) Eo sensu quem declaravit Lactantius div. Instit. L. VII. c. 7. P. 477. ed. Wirc. Facile est autem docere, pene universam veritatem per philosophos & sectas esse divisam. Non enim sic philosophiam



(neque autem pro Potamonicis) haberi queant adeoque cum ceteris ferri omnino mereantur.

Igitur, ut breviter sententiam dicamus, Potamonem quidem illum Eclecticae cujusdam sectae auctorem fuisse Laertio, si ita videtur, credamus. Quo is praecise tempore, quo loco docuerit, quos discipulos habuerit, non patet. Eum autem ad Neoplatonicos referri debere ejusque sectam Neoplatonicorum scholam fuisse, nullo modo non dicam vinci, sed ne verisimile quidem reddi poterit.

Nunc transfiliunt ad Ammonium Saccam, quem certiora & firmiora Eclecticae sectae fundamenta jecisse ajunt, unde ab hoc maxime Doctore atque a seculi tertii initiis derivandam esse scholae Eclecticae originem judicat Brukerus. ¹⁹⁾ Eam igitur

philosophiam nos evertimus ut Academici solent — sed docemus nullam sectam fuisse tam deviam, nec philosophorum quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero. Quod si existisset aliquis, qui veritatem sparsam per singulos per sectasque diffusas colligeret in unum ac redigeret in Corpus, is profecto non dissentiret a nobis. Similiter Terrull. de Testimonio animae §. I

19) Hist. crit. philos. v. c. p. 202; Verisimillimum esse putamus, sectam Eclecticam sub Augusto nondum fuisse enatam, quam non omisissent for illustres scriptores memorare, si eo tempore jam floruisset, nec ante seculi secundi finem potuisset Origenem cepisse, sed nec juniorem esse cum eo tempore eclectica etiam philosophia Alexandriae in Ammonii schola sectae habitum formamque acceperit; certum autem sit, Potamonem ante hunc istam philosophandi viam primum tentasse. Conf. p. 192. Vol. c.

igitur tradunt a parentibus Christianis natum atque in schola Christianorum Alexandrina institutum esse sive a Pantano sive a Clemente, post autem a sacris nostris ad profanum Deorum cultum descivisse. Hinc eundem, ut sit mos apostatarum, capitali adversus Christianos odio ²⁰) talem jam instituisse disciplinam, qualis apta esset ad impetus Christianorum in veterem religionem frangendos atque ad causam Deorum probabilius defendendam. In his prius illud, quod Ammonius Christianam fidem deseruerit, fide Porphyrii narrant ²¹) contemnentis Christianorum Doctorum Eusebii atque Hieronymi testimonium ²²) qui Ammonium eundem Christianæ fidei hominem

²⁰) Et hoc quidem imprimis pro certo affirmant, ut Moshem. l. c. p. 102. sq. Verisimile est gloriæ studium incitasse hominem, ut Christiana sacra desereret. Ipse nimirum caput & Magister sectæ esse, non aliis subesse & obtemperare volebat. Forte etiam blanditiæ & promissa philosophorum — constantiam ejus labefactarunt. Vicunque est *quæ quidem vacat controversia*, Ammonium, ut solent transfugæ, capitale odium ex civitate Christiana quam reliquerat secum retulisse, quumque acumine & temeritate valeret, talem instituisse disciplinam construere.

²¹) Ἀμμωνίος μὲν γὰρ Χριστιανὸς ἐν Χριστιανοῖς ἀνατραφεὶς τοῖς γονευσί, οὗ τὸ φρονεῖν καὶ τῆς φιλοσοφίας ἠγάπητο, εὐθύς πρὸς τὴν κατὰ νόμους πολιτικὴν μεταβαλετο· apud Euseb. hist. Eccl. L. VI. c. 19.

²²) Ταῦτα τῷ Πορφυρίῳ κατὰ τὸ τρίτον συγγραμμὰ των γραφέντων αὐτῷ κατὰ Χριστιανῶν εἰρηται, ἐπαληθεύσαντι μὲν περὶ τῆς ἀνδρὸς (sc. Origenis Adamantii) ἀσκησεως καὶ πολυμαθείας· ψευδομένην δὲ παρῶς· τί γὰρ ἐκ ἐμελλεν ὁ κατὰ Χριστιανῶν· ἐν οἷς αὐτὸν μὲν φησὶν ἐξ Ἑλλήνων μεταστεινῆσαι·


& fuisse perhibent & mansisse. Tamen, quod utriusque partis in hac causa non possit esse nulla auctoritas, plures monent fuisse Ammonios, quos Eusebius, cum Porphyrio contradiceret, non satis ab se invicem distinxerit. ²³) Fuit etiam, qui Porphyrium cum Eusebio ea ratione conciliare voluit, ut Ammonium quidem ipso animo Christianum exuisse, externum autem habitum retinuisse statueret. ²⁴). In tanta sententiarum diversitate quomodo non mirabimur auctores nostros ista Ammonii apostasia tam secure uti, adtribuendum Philosopho id, de quo omnis Antiquitas plane silet? Ferunt enim, quod alterum illud erat, desertorem hunc salutis Christianæ sublatis philosophiæ profanæ controversiis sic docuisse discipulos suos philosophari, ut se Religioni Christianæ majori cum vi aut specie potuerint opponere

τον δ' Ἀμμωνίον ἐκ βίβ. τῆς κατὰ τὴν θεοσεβείαν ἐπὶ τὸν ἐθνικὸν τρόπον ἐστειν· τῷ τε γὰρ ὤργισεν· τὰ τῆς κατὰ Χριστὸν διδασκαλίας ἐκ προῦκων ποιεῖτο — τῷ τε Ἀμμωνίῳ τὰ τῆς ἐθνικῆς φιλοσοφίας ἀνεργαί καὶ ἀδιαπτάται καὶ μέχρις ἐσχάτης τῆς βίβ. διεμεινε τελευτῆς· Euseb. H. E. VI. 19.

Hieron. de Scriptor. Eccl. n. 65. Ammonius vir disertus & eruditus in philosophia eodem tempore Alexandriae clarus habitus est, qui inter multa ingenii sui & præclara monumenta etiam de consonantia Moysi & Jesu elegans opus composuit, & Evangelicos canones excogitavit, quos postea secutus est Eusebius Cæsariensis. Hunc falso accusat Porphyrius, quod ex Christiano Ethnicus fuerit cum constat, eum usque ad extremam vitam Christianum perseverasse.

²³) Moshem, diff. c. p. 101.

²⁴) Ernest. N. Theol. Bibl. B. VII. p. 798.



re²⁵). Heic non repetam, quod ab aliis observatum video²⁶), odium illud quod quosdam perfidos scimus adversus pristinam religionem suam concepisse, non bene ad genium seculi, de quo hic sermo sit, accommodari, nec tam singulari invidiæ causa opus esse, ubi multa alia sint, quæ non solum Ammonii, sed omnium istorum hominum animos a Christianorum societate abalienare potuerint²⁷): sed primum huic insistam idque unice rogabo viros doctos ut mihi aperiant, utrum tanto stupore correpti fuerint illius ævi & proxime insecuti scriptores Christiani ut novum istud systema Platonianum non animadverterint, an vero, si tam abjecte de Christianis illorum temporum sentire non audeant, studiose conatus istos Ammonianos celaverint? Horum autem posterius quomodo persuadebunt iis, qui sentiunt, non mediocriter ornatum fuisse Christianismi victoriam, si publice nostri doctores exposuissent, quo tempore, quo auctore, quo novo systemate ea Philosophorum secta, quæ in omnium admiratione esset, Deorum cultui jam interituro succurrere voluerit? Si in lucem publicam protraxissent transfugam eum, qui in tenebris rei Christianorum adversabatur frustra que doctrinam suam prodere discipulos suos vetabat? Hi enim ipsi, Porphyrio teste²⁸), pro-


25) Moshem diff. cit. p. 103. sqq.

26) Meiners *Beitrag zur Gesch. der Denkart der ersten Jahrh. nach Christi Geburt.* p. 12.

27) Keil in progr. cit. ab initio ad finem.

28) Porphyr. in vita Plotini ap. fabric. Bibl. Gr. T. IV. p. 97:

Εγεννη δὲ μοι Ωριγένης καὶ Πλωτίνου συνθηκῶν γεγονοσιων μὴδεν ἐκκαλυπτεῖν τῶν Ἀμμοῦνιου δόγματων, ἀ δὲ ἐν ταῖς ἀμφοτέρωσιν αὐτοῖς ἀνεκκαλυπτο, ἐμνε




philosophiam publice in Italia doceret, ad alios philosophos audiendos iter suscepit³⁴). Post eum rediret Porphyrius testis est, non tantum Platonica, sed & peripatetica & Stoica in scholis ejus prælecta esse³⁵). Immo vero ubi suspicio movetur de placitis a Plotino aliunde transfusis, non ab Ammonio sua istum, sed a Numenio potius suffuratum esse criminantur³⁶). Sed concedamus, Ammonium a Plotino transcriptum esse. Jam si quis de illius philosophi adversus Christianos systemate novo audiverit, optimique discipuli Plotini scripta jam in manus sumferit, nomine quasi certissime prævidebit, novam se methodum heic inventurum, Plotinumque de multis philosophiæ capitibus longè aliter præcepturum esse, quam a prioribus Platonice factum sit, *) & sic quidem maxime, ut Christiana fides ab Ammonii aut Plotini philosophia minus offenderetur faci-

34) Porphyr. de vita Plot. ep. fabr. p. 96. Ἀπὸ ἐκείνης τῆς ἡμέρας συνεχῶς τῶν Ἀμμοῦνιου παραμεινόντων τοσαύτην ἔξω ἐν φιλοσοφίᾳ κηρσοῦμαι, ὡς καὶ τῆς πύρᾳ τοῖς πέρσοις ἐπὶ τῆδευομένης πείραν λαβεῖν σπένσαι καὶ τοῖς παρ' Ἰνδοῖς κατ'ὀρθόμηνης Γορδιονὸς δὲ τὸ Βασιλεὺς ἐπὶ τῆς Περσίας πύρρηναι μελλόντος; δὲς αὐτῶν τῶν σφραγιστέων σιωπῆσαι.

35) id; Porphyr. l. c. p. 116.

36) l. c. p. 119: τῶν δὲ ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος τὰ Νεμῆνιαι αὐτὸν υποβαλλεῶσιν λεγοντῶν καὶ τῆτό πρὸς Ἀμμοῦνιου ἀγγελλόντος Τρυφῶνός — γέγραφεν ὁ Ἀμμοῦνιου βιβλίον ὃ ἐπεγράφεται πρὸς τῆς κατὰ τὰ δόγματα τῶν Πλωτίνου πρὸς τὸν Νεμῆνιαι διαφορῆς.

*) De hoc judicent lectores, si ea legerint, quæ clar. Meinersius in libello jam allegato de doctrina Platonice recentiorum præsertim Plotini tradidit.



faciliusque cum ista in gratiam redire posset. Horum autem quæ tam secure augurabatur, si nihil, quod operæ pretium sit, factum esse, intellexerit, nonne aut Plotinum negabit genuinum fuisse Ammonii discipulum aut ipsum Ammonium novissystematis ejusmodi auctorem? quorum utrumque quam novi Platonismi ab Ammonio propagati conditoribus adversum sit, omnes pervident. Sed neque mihi, ut libere fatear, Plotini systema ita videtur comparatum fuisse, ut facilius quam priorum Platoniorum systema abs Christianis recipi aut difficilius refelli potuisset: neque ejusmodi unquam de posteriori Platonismo iudicium apud veterum quendam legere me memini. Multa similiter ut antiquiores Platonici, tradit, cetera ejusmodi fere sunt, ut Christianorum tela haud felicius effugere potuerint.

Sic vero Origenes ejus sectæ, quam eo & modo & animo institutam esse ferunt, ut magis adversus Christianismum valeret philosophia gentilis, usque ad medium seculi tertii persecuti sumus, ejusmodi tamen instituti certa vetustatis testimonia non invenimus; multa autem, quæ traditioni huic magnopere repugnent. Præterea possent alia quædam castigari, quæ de nova ista philosophorum familia proferri vulgo solent. Quoniam autem ea & universam Ecclesiam turbatam & inprimis fidem etiam Christianorum corruptam esse putant, omissis ceteris, in hoc posterius maxime accuratius inquirere pergimus.

Primum autem nostro jure id nobis poscere videmur, ut demonstretur, qua ratione quibusve maxime auctoribus ejusmodi



modi depravationes doctrinæ in Ecclesiam irreperint & quænam fuerint illæ fidei corruptelæ quæ a novis istis philosophis profectæ esse deprehendantur? Parum enim verisimile sit, Ecclesiæ Doctores ad probandos in fide errores ab iis seductos esse, quos acerrimos religionis suæ hostes experti sint. Illud quidem docet historia, contradicendi cupiditate eos, qui in controversiis versantur, facile in contrarios errores abripi, unde e. g. ii olim excusari solebant, qui cum contra Sabellianos agerent, ita præcipiebant de Verbo, ut Arianis postea favisse visi fuerint; at communicare suos sibi errores raro observamus adversas invicem partes præsertim aperto etiam bello dimicantes, quod quidem victoriæ signum esse crederetur ab altera parte reportatæ. Deinde ut factum sit, quod accidisse volunt, duplici id ratione fieri poterat, ut vel Platonici Christiana adsumerent, vel Christiani Platonica: quorum quidem utrumque locum habuisse adfirmant.³⁷⁾ Platoniorum enim


37) Bruck. Vol. c. p. 384. Cum enim & Platonici hi similitudine decepti in Christiana castra transirent ac domesticas hypotheses eo transferrent simul & cum Christianis dogmatibus conciliarent & Christianorum filii horum hominum scholas frequentarent, quos eruditionis elegantia & philosophiæ laude commendari audiebant, factum inde est ut castissima J. Christi doctrina valde pollueretur & male sana dogmata Alexandrina sanctioris philosophiæ circulos misere turbarent. Ex eo enim tempore evenit, ut Platoniam philosophiam & Christianam religionem levi immutatione & emendatione facta simul stare conjungique posse doctores Christiani opinarentur. Id quod præcipue factum, postquam Origenes in Ammonii schola hanc philosophandi



enim recentiorum multos Christianam fidem amplexos esse, Augustini testimonio quodam probare solent; eosque *paucis mutatis verbis atque sententiis* Christianos factos³⁸⁾. Omittam nunc, ea, quæ inde effici putant, mera suspicione niti, cum ajunt eos Philosophos, qui paulo post alios docuerint, Platonismum suam in Ecclesiam intulisse; neque exprobrabo, non satis apte tali loco eos uti, qui Eclecticis illos tam capitale odium adversus Christianos aluisse tradunt; sed eo potius omnes
velim

phandi viam ingressus eam mutatis paucis capitibus ad Christiana placita retulerat, sicque is sacram doctrinam Platonico habitu exornatam auctamque in Alexandrinam scholam introduxerat, & quæ sqq.

- 38) Augustinus de vera religione c. 4. ed. Basil. 1556. T. I. p. 703. Illi enim si reviviscerent, quorum isti nominibus gloriantur & invenirent refertas Ecclesias templaque deserta & a cupiditate bonorum temporalium & fluentiam ad spem vitæ æternæ & bona spiritualia & intelligibilia vocari & currere humanum genus, dicerent fortasse, si tales essent, quales fuisse memorantur, hæc sunt, quæ nos persuadere populis non ausi sumus & eorum potius consuetudini cessimus, quam illos in nostram fidem voluntatemque traduximus. Itaque si hanc vitam illi viri nobiscum rursus agere potuissent, viderent profecto, cujus auctoritate facilius consuleretur hominibus & paucis mutatis verbis atque sententiis Christiani fierent, sicut plerique recentiorum nostrorumque temporum Platonici fecerunt. Et ex hoc ipso loco alter explicandus sine dubio est in Epistola ad Dioscurum T. II, p. 262. Ex quo intelligitur ipsos quoque Platonice gentis philosophos *paucis mutatis* quæ Christiana improbat disciplina invictissimo uni Regi Christo pias cervices oportere submittere.



palabant, quid in schola Ammonii didicissent. Eam adeo Christianos homines frequentasse ferunt, inter quos maxime Origenem nominant Adamantium. Etiam hunc putas aut non vidisse Ammoniana consilia, aut, si viderit, non repressurum fuisse? Sæpe & multum is cum Philosophis profanis configit, Celsum copiose refutat, infinite scribit, Alexandriæ etiam habitat, Ammonium audidit, de novo hujus Philosophi adversus Christianos conatu alte fileat. Judicavit, opinor, Ammonianum syncretismum parum aut nihil ad res Christianorum pertinuisse. Sed is ipse forsan infectus? Scilicet iis artibus, quas Ammonius pro causa Deorum adversus Christianam religionem excogitasse dicitur! Scimus quidem varios in eo errores præsertim a posteris vituperatos fuisse: eum autem ab Ammonio tam turpiter deceptum esse, nemini acerbissimorum etiam hostium ejus in mentem venisse videtur.

Tamen non Christianorum unice sed ipsorum etiam Platoniorum silentio hæc nostra confirmari credimus. Jure enim nostro ab his exspectamus, ut auctorem familiæ suæ & negotii, quod sibi datum esse arbitrabantur, passim nominent aut recognoscant. Sed longe omnes a venerabunda ejusmodi commemoratione istius sui Principis absunt. Plotinus, celeberrimus de discipulis illius, nullibi istum suum Magistrum *tanquam novæ disciplinæ inceptorem* aut laudat aut demonstrat. Porphyrius in
vita

δε και ο Πλωτίνος, σπυλων μεν τισι των προσιοντων, τηρων δε ανεκπυσα τα παρὰ
τῆ Αμμωνιου δογματα. Εγεννη δὲ πρωτῆ τῆς συνδημίας παραβατοντος, Ωριγενῆς
μεν ηκολαθει τῷ Φιδασκωντι Ερηνω.

vita Plotini, ubi in novum hunc Platoniorum ducem incidit, nil novit aut affert, quo is profanam philosophiam *singulariter contra Christianos* adjuvisset. Eunapius denique, quem constat philosophorum istorum vitas descripsisse, ne ab Ammonio quidem istam *διαδοχην* incipit, sed a Plotino. Et in præfatione quidem sua ²⁹⁾ Ammonii cujusdam mentionem facit honorificam, sed ab Ammonio Sacca plane diversi, cum Plutarchi, parallelarum auctoris, non posset esse præceptor. A Plotino autem antequam ordiatur veniam quasi a lectoribus petit, diserte testatus, se a nullo alio sive certius sive decentius incipere potuisse ³⁰⁾. Ista omnia quantopere faveant novo philosophiæ generi ab Ammonio Sacca ejusque discipulis instituto, judicent lectores.

Unus

29) Eunapius de vitis philosophorum & sophistarum (Antverp. 1568.)

P. 6. Φιλοσοφῶντες μὲν ὁ λημνῖος τῆς τῶν ἀριστῶν ἐξ ἀπιδρομῆς μετὰ χάριτος παρεπιτυσέ βίης· φιλοσοφῶν δὲ ἕδεις ἀκριβῶς ἀνεγράψεν· ἐν οἷς Ἀμμωνῖος τε ἢ ὁ ἐξ Αἰγυπτῆ, Πλάταρχος τε δῶτατος γεγονῶς διδασκαλός· Πλάταρχος τε αὐτός ἢ φιλοσοφίας ἀπάσης ἀφροδιτὴ καὶ λυβῶ·

P. 8. ubi de hoc ipso Plutarcho ait το καλλιστον αυτου των συγγραμματων εισιν οι καλλεμενοι παραλληλοι βιοι των αριστων κατω εργα και πραξεις ανδρων.

30) Id. Eunapius l. c. p. 11. νεμεσοῦτο δὲ μηδὲ εἰς, εἴγε καὶ ἡμῖς ἕτως ἀναγράφωμεν τῆς χρόνης, ἀφ' ὧν γέ ἢν δυνατόν συντεμμηρῶσασθαί ἢ παραλαβεῖν τὴν προσήκησαν ἀρχὴν, ἀπο τῆτων εἰς τὸν λόγον ἐπιβησομεθα.

Unus superest ex Hierocle de providentia locus, ubi Ammonius dicitur ³¹⁾, non, ut volunt, sustulisse & composuisse philosophorum gentilium controversias, ut quasi communem causam posthac adversus Christianos agerent, sed Platonem solum in primariis capitibus cum Aristotele conciliaffe. Hoc autem, quid ad Christianos? Idem enim sæpius, & ante Ammonium & post eum ab ipsis adeo Christianis, tentatum esse novimus, atque etiam si vel felicissime Platonem cum Aristotele in concordiam redegisset Ammonius, multa tamen superfuissent sententiarum divortia, quæ philosophis profanis exprobrari a Christianis potuissent. Denique hoc potius Christianis oppositum fuit, quod in tot sectas abeant, ut ex Origine adversus Celsum patet

31) Apud Photium in Bibl. Cod. 214. ed. Hoeschel. Aug. Vind. 1601. fol. p. 283. Multa Hierocles in libro de providentia & fato, cujus argumentum Photius affert, narrat de diversis philosophorum præsertim Platonis & Aristotelis opinionibus disputata esse *μέχρις οἷς ἡ Ἀμμωνῖος σοφία διελαιμῆν, ὅν καὶ θεοδιδάκτον επικαλεῖσθαι. ἡμῖναι τῆτων γὰρ τῶν παλαιῶν ἀνδρῶν διακαθάραντα δοξᾶς καὶ τῆς ἐκτερωθεν ἀναφυομενης ἀποσκευασαμενον ληρας, συμφωνον ἐν τοῖς επικαιροῖς τε καὶ ἀναγκαιοτάτοις τῶν δογματων Πλάτωνος τε καὶ Ἀριστοτέλης τὴν γνώμην ἀποφῆναι·* familia vide Cod. 251. P. 750. *διεμενε τῆτο το πῆδος τῆς φιλοσοφῆς διατριβῆς ἐνσηκῆσαν, εὖς Ἀμμωνῖος τε θεοδιδάκτῆ· οὗτος γὰρ πρῶτος ἐνθεσιασας πρὸς το τῆς φιλοσοφῆς ἀληθῖνον καὶ τῆς τῶν πολλῶν δοξᾶς ὑπεριδων, τῆς πλείστον οὐκείδος φιλοσοφῆς προστριβομενης, εἰ δὲ καλῶς τᾶ ἐκῆτερα (i. e. & Platonis & Aristotelis) καὶ συνηγαγεν εἰς ἐνα καὶ τὸν αὐτὸν νεν, καὶ ἀσασιασεν τὴν φιλοσοφῖαν παρῆδεσσε πασι τοῖς αὐτῆ γνώμοῖς, μαλιστα δὲ τοῖς ἀριστοῖς τῶν αὐτῆ συγγενητων Πλάτωνος καὶ Ὠριγενεῖ καὶ τοῖς ἐξῆς ἀπο τῆτων.*




patet ³²⁾, certe, si dissensionibus philosophorum uti volebant Christiani doctores ad auctoritatem philosophiæ deprimendam, sciebant & Platonici & ceteri quid respondere possent. Ut igitur concedamus, desertorem fidei fuisse Ammonium Saccam, tamen eundem *novæ familiae* philosophorum patrem fuisse adhuc incertum, novum autem philosophandi genus *adversus Christianos* instituisse, novum certe commentum est.

Haud contemnendum ad hæc omnia accederet argumentum ex eo, quod Ammonius nihil, quod nobis saltem superesset, scripserit, nisi discipulum reliquisset, magnum illum Plotinum, Enneadum auctorem, ex quo universum Magistri systema cognosci satis posse putant ³³⁾. Sed valde vereor ut satis firma sit hæc ipsa opinio. Diu quidem multumque audivit Ammonium. An ejus methodum & consilia & sententias adoptaverit atque propagaverit, longe alia atque nova quæstio est, Alexandriae certe, ubi maxime infectos fuisse volunt Christianos, non docuit, sed Romæ, neque norunt, quis Ammonii scholam Alexandriae tum rexerit. Antea etiam quam ipse phi-


32) Celsus apud Origenem L. 3. §. 12. p. 328. ed. Wirc. *Εἰς αὐτὴν ὡς κατηγορῶν τὰ λόγια τὰ περὶ τῶν ἐν Χριστιανισμῷ ἀρεσκῶν ἀνεπίδειξι μὴν λεγῶν εἰς πλῆθος δὲ σπαρῆντες αὐθις ἀναχίζονται καὶ τεμνοῦνται καὶ φυσικῶς ἰδίας ἔχειν ἐκείνοι θελήσει, φησὶ δ' ὅτι καὶ ὑπο πλῆθος πάλιν διασπῆσθαι εὖ φησὶ αὐτὸς ἐλεγχῶσι.*

33) Moshem, diff. c. p. 103. Nihil quidem ipsemet in literas retulit Ammonius, sed quo animo quibusve fuerit sententiis & opinionibus, commode ex illis intelligitur, qui ab ore ejus pependerunt, maxime ex Plotino quo nobiliorem discipulum non habuit,




velim attendant, Augustinum non de novis tantum Platoniciis illud asserere, quod jam, quasi reformata Platonis disciplina per Ammonium aut Plotinum, paucas tantum sententias vertere opus habeant, sed hoc ipsum de antiquis illis Platoniciis ante ortum Christianismum affirmare. Ignorat ille novas Eclecticorum artes earumque funestos rei Christianæ effectus & Platonicos tum veteres tum recentiores tanquam unam familiam tractat. Nos autem non negamus, vel Eclecticos ad fidem Christianam accessisse, vel philosophiam, qua imbuti erant, secum attulisse; sed de eo potius disputamus, an Ammonii Plotinique discipuli, *novæ* sua disciplina ab his Magistris accepta Christianam fidem corruerint, quod nos quidem rite probari posse non opinamur. Exempla proferant, quibusve præcipue auctoribus id factum sit, demonstrent, aut apud quos primum ejusmodi depravationes invenerint, significant, ut judicare causam queamus. Certe Justinum Martyrem, si qui criminantur, ejus rei causam facile mihi videre videor. Eum enim ipsum jam isto Platonismo, cujus veterem Ecclesiam damnant, infectum fuisse intelligunt; at ab juniore Ammonio pendere Justinus non poterat; nondum natus erat Syncretismus ille Philosophicus, quem Christianos decepisse volunt. De reliquis autem viris Ecclesiasticis nonnisi duos novi, quos heic cum aliqua similitudine veri in medium prodire jubent, Origenem & Synesium, Priorem istum dicunt Ammonium Saccam audivisse, a quo didicerit Platoniana ista, quæ post in Ecclesia auctoritate sua & innumera discipulorum multitudine propagaverit. Enimvero Origenem Ammonii institutione usum esse, quamvis etiam hæc

D causa



causa difficultatibus non carent, concedimus; utrum Christiani an Apostatae? Sane hoc confirmare pro certo non possunt, & quid in hoc illove capite doctrinae ab eo acceperit, multo magis omnes ignorant. Neque enim systema Ammonianum ab ullo scriptore fide digno traditum est, neque ab Origene, quid ab Ammonio habuerit commemoratum. Non is, neque ad Ammonium neque ad alium coævum, si Platónica affert, sed ad ipsum Platonem provocat. Sed paradoxa quaedam docuit, atque a Platone parum dissidentia, quæ, quoniam Ammonium audivit, ab eo haussisse credibile sit? Hæc si ita sint, num is est Origenes, quem putemus non ipsum Platonem tractavisse; aut ex ipso fonte ista sua petivisse? At vero, si poterant, istud debebant ostendere, quid apud eum non antiquus ille Plato, sed Ammoniana illa disciplina nova & singularis valuerit? atque illud etiam explicare, quomodo factum sit, ut summus Origenes, ipse Ammonii auditor, nunquam perniciosum huius philosophi Consilium vel animadverterit vel reprehenderit? Permultos Origenes discipulos habuit, quos præter cetera in philosophia erudivit. Qua id methodo perfecit, ex iis unum, idoneum testem audiamus, Gregorium, qui non obscure id in panegyrico exposuit ³⁹). Non eum, testatur, auditores suos unam tan-

39) Gregor. Bavmat. panegy. ad Orig. §. 170. p. 203, ed. Beng.
 Ινα δη εν μη ταυτην τοις πολλοις παροοιμεν, προς μεν εναι τινα εν ηγε των φιλοσοφων λογων, εδε και αυτες απιεναι ηξει, προς δε παντας ηγεν, υδενος υπειραφης εναι θελων δογματος Ελληνικη και αυτος δε συνεισηει προηγουμενος και χειρογραφων — §. 172. 199. των μεν επι χρησιμον φιλοσοφων εκρασαν και



tantum philosophandi rationem docuisse, non aut Platonem, aut Potamonem aut Ammonium unice commendavisse, sed ad omnes pariter veteres philosophos ablegavisse, ut undique quæ bona & recta sint, colligerent & veri nominis Eclectici fierent. Graviter eundem admonuisse, ut ne ab ullo philosophorum capi se paterentur, sed *omnia, quæ ab ipsis acciperent ad fidem scripturae sacrae metirentur*. Ista profecto non olent scholam Ammonii. Denique ii qui didicerunt, multorum graviumque errorum olim jam Origenem fuisse accusatum, & cogitare debebant & fateri, ea omnia aut non præcise e Platonicis hausta, aut jam ante Origenem passim ab Ecclesiae Doctoribus proposita, aut tum privata tum publica auctoritate ab Ecclesia repudiata fuisse atque damnata, multumque adeo abesse, ut eo duce recentiorum Platoniorum fraudibus decepta atque irretita dici queat Ecclesia Christiana. Sic ad *Synesium* nimis celeriter procurunt ⁴⁰), (neminem enim intermedio tempore invenisse videntur, quem in hanc suspensionem vocare queant) quem scimus sub initium seculi quinti e Platonicis ad Ecclesiam accessisse. Quæ tamen de hoc Synesio historia prodit, dici non potest, quam sint nostris Eclectismi accusatoribus adversa. Cum enim concedant Platonicos illos capitali odio ab Ecclesia dissi-


και αληθες ην, αναλεγων και παρατιθεμενος ημεν οσα δε ψευδη επικριτων, τα τε αλλα και μολισαι οσα ιδιαι προς Ευσεβειαν ην ανθρωπων περι τατων μεν υδεν προσεχων συμβαλευν μηδε ει πανσοφος τις υποποιωντων ανθρωπων μολι-
 πυρηθει, μονω δε προς εχειν θεω και τοις τετα Προφητοις.

40) Bruck. paulo post locum antea citatum p. 389. Moshem. in apologia cit. p. XXVIII.



discedisse, quis crediderit, eam hostes suos adeo amavisse, ut etiam Episcopos habere optaverit? Ictas certe inimicitias deposuerint necesse est ab Ammonii ætate usque ad Synesii tempora. Nam Synesium veteres tradunt plane invitum ad Episcopatum Ptolemaidis tractum esse, quem ne gravissima quidem sua protestatione declinare potuerit, qua aperte negabat se de communibus adeo necessariisque Christianæ fidei decretis persuasum esse ⁴¹). Ferunt etiam, veteres Doctores nostros ab istis Platonice inter alia mendacio in causis religionis indulgere didicisse. Quodsi confirmare volunt, certe hujus Synesii exemplum adhibere non poterat. Huic enim, qui resurrectionem corporum non agnovit, cum veniam forte dedissent famosa illa *οικονομία* in gravissimo hoc fidei capite utendi, liberaliter tamen quæ sentiret professus est. Igitur non eum qui mutatis paucis ~~sententiis ac verbis~~, ut supra ex Augustino audivimus, Christianus factus sit, sed verum atque apertum Platicum non tantum ad baptismi gratiam admittunt, sed etiam Episcopum in Ecclesia Dei constituunt. Hoc qui ferunt & audent, etiam alia a fide Christiana abhorrentia tolerasse quidem, nec tamen propterea credidisse existimandi sunt, nisi forte crediderimus, hujus temporis Doctores adeo de Resurrectione Carnis a Platonice seductos coepisse dubitare. Sed omnino

41) Evagrius histor. Eccl. l. 15. *ὅτι οὗτος ὁ Σινεσιος ἢν μὲν γὰρ αἰὶα πάντα λογίος· φιλοσοφίαν δὲ ἑτος ἐς τὸ ἀκροτάτου ἐξήσκησεν, ὡς καὶ παρὰ Χριστιανῶν διαμαρτυροῦντων τῶν μὴ προσπαθεῖν ἢ ἀντικαθεῖν κρινόντων τὰ ὀραόμενα· περὶ δὲ ἐν αὐτῶν τῆς σωτηριῶδης πολλογενεσίας ἀξιώθημι καὶ τὸν ζυγὸν τῆς ἑρῶσυνης υπέρδειν, ἐπὶ τὸν λόγον τῆς ἀνοήσαστος παραδεχομένων, ἔδὲ δὲξάσειν ἐθέλοντα* — fere eadem refert Photius *cod. 26, Bibl. p. m. 7.*



omnino hunc Synesium suis erroribus Ecclesiæ noxium fuisse universa antiquitas Christiana plane ignorat, proptereaque ad novas suspiciones referendum est ⁴²).


At observamus, ais, doctrinas quasdam apud Ecclesiasticos scriptores, quæ non nisi ab illis novis Platonice proficisci poterant? Quod si non sine aliqua probabili conjectura aut ratione ab se dictum esse velint, ejusmodi necesse est placita proferant, quæ & novis istis Platonice quasi propria fuerint & ante Ammonium aut Plotinum inter Christianos non inveniuntur. Nunquam enim in hac controversia ex animo dimittendum est, quod vulgo fingunt, novos Platonice ita Magistri i. e. Platonice philosophiam immutasse aut cum aliorum placitis miscuisse, ita suam eos doctrinam informasse, ut jam facilius atque frequentius a Christianis admitteretur atque difficilius confutaretur. Cujus rei cum Ammonium maxime auctorem faciant, sane ab novo hoc Platonice non possunt esse profecti errores, qui jam antea in Ecclesia grassabantur. Sed ex hoc ipso genere ii fere sunt, quorum veteres Doctores accusant. Quodsi enim ajunt, allegoariarum studium in interpretatione scripturæ, quod vetus Ecclesia tantopere adamarit, ab illis hominibus repetendum esse, profecto dupliciter errant.

Pri-

42) Præterea solent quidem in hac causa commemorari libri aliqui veteres Pseudonymi, scilicet Clementis recognitiones & Dionysii Arcopagite scripta. At non obscura tantum valde atque incerta eorum omnis historia est, sed etiam qui *novi inde errores scholæ Ammonianæ* ad Christianos transferint, multo minus perspicuum reddi potest.

Primum in eo, quod ab Ammonio demum quasi coeptum esse supponant illud mythologiæ tractandæ genus, quod certissima testimonia tanquam antiquissimum confirmant, deinde quod post Ammonium demum, ab Ecclesiasticis hominibus valde usitatum credant, cum in omnium manibus sint & Barnabæ epistola & Clementis Romani, & Alexandrini Clementis scripta & Justin Martyris, quæ profecto infelici illa *γωσσι* nimium scitent, quibusque omnibus novi illi Platonici suo exemplo præire non poterant. Præterea, ab his ipsis simulandi artem & mentiendi licentiam religionis vel utilitatis publicæ causa Ecclesiasticos viros putant adoptavisse, unde inter alia infausta illa librorum suppositorum seges in Ecclesia Dei provenerit. Ad hæc ut paucis respondeam, ante omnia scire velim, an novi illi Platonici tot falsi aut suspecti nominis libros inter se habuerint aut venditaverint, quod nos certe non deprehendimus? ubinam vero istam mentiendi facultatem sic defenderint, ut ad sectæ genium referre eam queamus? præsertim tam luculento Synesii exemplo obstante, qui ista simulatione uti recusabat, quam Episcopi Christiani concedere ipsi videbantur. Sed sit ita, ut volunt. Tamen jam seculum secundum satis ferax erat apud Christianos obscurorum dubiorumque scriptorum: atque ante Ammonium jam permulta Apostolis & viris Apostolicis adscripta Evangelia, Acta, Epistolæ, Apocalypses molestiam creabant, quæ neque a Platonici confecta erant, neque ab iis qui ex ista schola prodierunt, Christianis. Unde autem Origenem putas simulare & mentiri didicisse? Ab Ammonio forsitan? hujus rei tu quidem nullum testem habes. Ego vero
novi

novi & Clementem Alexandrinum, Origenis & forsitan etiam Ammonii Magistrum, ab illa via parum abfuisse & Origenem in ea re non ad Ammonium sed ad ipsum Platonem provocare, non ad defendenda quævis mendacia, sed ad excusanda adversus adversarios & suam & veterum, fictam forsitan, œconomiam. Ceterum celebris ista controversia, quæ post inter Augustinum & Hieronymum super hac quæstione orta est, luculenter probat, a magnis & doctis viris in Ecclesia repudiata esse istam simulandi artem, neque tamen tam invidiose rejectam, ut a novis Platonici eam in Ecclesiam fuisse transplantatam dixissent. Sed in doctrina veterum de *λογω* atque de Trinitate magnum imprimis argumentum invenisse sibi videntur novi Platonismi Christianam fidem inquinantis. Veterem quidem Platonem olim jam multi in istis fidei antiquæ capitibus recognoscere voluerunt. Ammonianos autem philosophos in culpa esse, recentiorum maxime fabula est. Hi enim, quæ de *λογω* & Trinitate quadam tradidere, neque inter se conveniunt, neque cum doctrina Platonis. Doceant igitur num sua veteres Christiani ad Platonem, an ad Plotinum aut alium quempiam ejus sectæ accommodaverint. At qui ista Platonismi vestigia observare in Ecclesia volebant, ea jam apud auctores viderunt, Ammonio antiquiores, Justinum Martyrem, Athenagoram, Tertullianum, Clementem Alexandrinum, qui cum ceteris Platonem ipsum sæpe & multum & honorifice commemorant, de novis autem ejus doctrinæ restauratoribus ne verbulum quidem habent. Eundem autem de Deo ejusque *λογω* docendi modum tenuit communis traditio usque
ad



ad synodos Nicænam & Constantinopolitanam, ubi is vel emendatus vel, si mavis, accuratius definitus fuit. Num forte putas, illas synodos demum a Neoplatonicis deceptas fuisse? sed inter acerbissimas illas Arianorum atque Eunomianorum concertationes, quæ nihil utrinque ad parandam invidiam omitterent, nunquam audimus aut legimus, novas Platoniorum artes Ecclesiasticis viris in istis doctrinæ capitibus fraudi fuisse. Nec majori jure huc referunt, sententias veteris Ecclesiæ de natura animæ ejusque libertate insita, & conditione corporis dissolutionem secutura. Etenim in his locis vel diu ante Ammonium sententiam dixere, ut de *αυτεξουσιω* vel libere unusquisque suam opinionem secutus est, ut de ortu animæ, vel aperte contra Platonicos pugnabant, quemadmodum Origenis exemplo patet, qui quod inter alia de destinatione animarum opiniones Platonicas defenderet, publice damnatus est.

His rationibus adducti constanter negamus, Ammonii ceterorumque Neoplatonicorum dolis & fraudibus inter alia mala illud factum esse, ut publica Ecclesia doctrina locis quibusdam gravioribus corrupta fuerit. Quamvis enim malefana istorum hominum somnia defendere nolimus, tamen hujus adversus rem Christianam culpæ aut peccati eorum nulla certa testimonia neque apud ipsos Platonicos neque etiam apud Ecclesiasticos scriptores adhuc allata esse existimamus.

